

Die Urkunden Pippins, 3

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Pippinus rex Francorum vir inluster. Et quoniam siquidem monasterium quod dicitur Prumia superna nobis inspirante gratia a novo construximus opere in honore videlicet sancti Salvatoris vel sanctae Mariae, providendum est sollerti cura, qualiter pertractemus, unde scilicet sancta congregatio et monachi quos ibidem instituimus vivere debeant atque consolationem refectionis ex nostra traditione perpetuo recipient. Idcirco noverit omnium procerum nostrorum magnitudo praesentium videlicet et successorum, quod nos ad iam praedictum monasterium in pago Muslinse quasdam punctiones et vennas damus et constituimus, hoc est infra terminos villarum nostrarum Marningum et Soiacum utrasque ripas Mosollae, ut habeant, fruantur et iure perpetuo obtineant ad piscandum, ad vennas faciendum, ubicumque abbatii ipsius loci complacuerit citra vel ultra, inferius aut supra. Similiter donamus in eodem pago Muslinse iuxta castrum quod Noviacum dicitur utrasque ripas fluminis Moselle citeriorem et ulteriorem vennam ad capturam piscium faciendam, ubi Drona influit in Mosellam, hoc est a parte occidentali a rocca quae dicitur Droan sursum tendens spacio LXVI perticarum usque ad aliam roccam et contra roccam Droan ex parte orientali protendens in latitudine perticis XXV, in longitudine vero LXVI. Donamus etiam in fluvio Drahocne aliam capturam piscium, ubicumque ministri fratrum elegerint faciendam, sub contestatione divina, ut de omni hac donatione nulla vis regia aut praelatorum libertas vel ulla iudicaria potestas licentiam habeat ipsas res a sanctuario dei et domini nostri Jesu Christi vel compendio fratrum alienare aut distrahere, sed, ut nostra memoria et coniugis nostrae Bertradae a praesentibus vel succendentibus monachis quos ibi instituimus perenniter habeatur usibus eorum et refectioni continue deserviant atque inconvulta et tranquilla per omnium succendentium tempora permaneat. Et ut hoc auctoritatis nostrae decretum ratum et perpetuale habeatur et per tempora melius a vobis successoribusque vestris inviolatum conservetur, manus nostrae signaculis decrevimus adumbrare et de anulo regio adfirmare.

Signum (M.) Pippini gloriosissimi regis.

Data VI. kal. mensis iunios anno primo regni ipsius domni Pippini regis ; actum Uuerestein palatio regio ; in dei nomine feliciter amen.